

toli primi Christi Vicarii nomen sibi commutavit in Sergium, ut constat ex epitaphio ejusdem, quod extat in Lateranensis Basilica, & refert Cardinalis Pallavicinus Societatis Jesu in *histor. Concilii Tridentini lingua Italica part. 2. lib. 3. cap. 11. num. 2.*

68 Non teneatur autem Papa nomen proprium mutare, cum ad id nullum Jus obligatorium reperitur, & constat non solum antiquiores Pontifices hac nominis mutatione usos non fuisse; sed etiam seculo decimosexto Adrianum VI. & Marcellum II. nomen proprium Baptismatis retinuisse; Primum ad preces Casarei Oratoris propter excellentiam Pontificem ita nuncupatorum; Secundum ob maximam dilectionem erga Martyrem Secundum Pontificem dicti nominis, ut refertur Card. Pallavicin. & Card. Petra *locis citatis.*

69 Papa consecratio, seu inronizatio fieri consuevit per Card. Episcopum Ostiensem, qui in eo actu Metropolitanam vice fungitur; *cap. In nomine Domini c. 1. dist. 13.* Unde pallio archiepiscopali utitur, & ei Portuensis, & Albanensis Cardinales Episcopi solent assistere. Et hodie Cardinalium Decanus, id est, primus inter Cardinales Episcopos, quamvis non esset Episcopus Ostiensis, id munus cum duobus aliis senioribus subit. Barbosa *loc. cit. num. 1176.* & alii passim. Consecratio autem Papa Episcopum, si non erat Episcopus, ac benedictio, & coronatio ejusdem sunt diversa. Consecratio enim, seu benedictio fit à Cardinali Episcopo Ostiensi, seu Decano, ut supra inter missarum solemniam ante Hymnum Angelicum, & postea ipse missarum solemniam incipit, & perficit consecratus, quo tempore potest etiam ordines conferre, si velit; quod ab Episcopo in die consecrationis suo fieri nequit, c. Quod sicut 28. §. Super eo, de electione. Coronatio autem fit per antiquiores Decanum Cardinalem. Barbosa *loc. citat. num. 117.* ut patet ex *Ceremoniali Romano tit. 2. de Ordinariis, & consecr. novi Pontificis.*

72 In die coronationis Papæ, ut conditionis humane memor sit, ante illum in summitate arundinis comburitur stupa, & ab uno Ceremoniarum Magistrorum interim sic inclamatur: *Pater sancte, sic transit gloria mundi.* Barbosa *loc. cit. cap. 2. num. 23.* & alii passim, & patet ex *Ceremoniali Romano tit. 2. de Ordinariis, & consecr. novi Pontificis.*

73 In coronatione Papæ tertia Collecta canitur de S. P. N. Francisco: Canitur enim prima de Spiritu Sancto, ut illuminet, secunda de B. V. Maria, ut protegat, tertia de S. P. N. Francisco, ut sicut reparavit ecclesiam, eandem sustentet. Ita Kanzenberger in *Supplement. Theol. Sporet in prerogativa Or. nostri Ser. num. 10.*

74 Alia Vide verb. Cardinales art. 5. per tot.

ARTICULUS II.

Quoad ea, quæ concernunt Papæ dignitatem, auctoritatem, seu potestatem, & infallibilitatem.

SUMMARIUM.

- 1 **P**apa tanta est Dignitatis, & Celsitudinis, ut non sit simplex homo, sed quasi Deus, & Dei Vicarius, quæ nomina eidem conveniunt, & quare triplici corona utitur, ad num. 13.
- 14 Uiquequo potestas ejus extenditur, ad num. 32.
- 33 Quare Servus Servorum denominatur: Papatum remittitur, ubi hic actus est faciendus: quomodo est consideranda ejus infallibilitas in rebus fidei, ad num. 79.
- 80 Ubi est Papa ibi Roma: Excommunicatus à Papa saluatus an absolutus censetur, ad num. 81.
- 82 Subnectuntur Auctorit. supplementa, ad numer. 88.

**P**APA tanta est dignitatis, & celsitudinis, ut non sit simplex homo, sed quasi Deus, & Vicarius Dei, cap. Ita Dominus 7. dist. 19. ibi: "Hunc enim in consortium individui Unitatis assumptum, id quod ipse erat Dominus, voluit nominari, dicendo; Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, & ut ibi explicat Glossa: Id, quod ipse erat, scilicet Petra, voluit eam vocari Petram," & concordat textus in cap. In novo 2. dist. 22. & cap. Fundamenta ejus 17. de electione. in 6. Annotat. 2. ad dec. 2. num. 2. part. 3. Rot. recent. Unde Papa adeo summæ & supremæ dignitatis est, ut proprie loquendo non sit in dignitate constitutus, sed potius in ipso culmine dignitatum positus, ut observat Card. Zabarell. in Clement. 2. in 5. notabil. de renuntiatis. & cit. Annot. 2. ad Dec. 2. num. 2. part. 3. Rot. Recentior.

Hinc Papa idem est, ac Pater Patrum, ut notat Gloss. communiter recepta in proemio Clement. verb. Papa. Et hoc nomine uti potest solum Summus Pontifex, ut maxima ratione, teste Card. Petra tom. 1. Comment. ad constit. 1. Divi Leonis num. 8. fuit statutum à Gregorio VII. anno 1073. 6. Kalend. Maii in Synodo Romana, quia vere solus ipse dici potest Pater Patrum, cum continet primatum omnium, omnibusque sit vere major, omniumque maximus; cap. Solite 6. de majorit. & obediens. ibi: "Fecit Deus duo magna luminaria in firmamento Cæli; luminare majus, ut præset dies, & luminare minus, ut præset nocti, utrumque magnam, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur Cæli, hoc est Universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritatis, & regaliæ potestas, sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est; quæ vero carnalibus, minor, ut quanta est inter solem, & lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur."

Papa Sanctissimus appellatur: quia talis vere presumitur, cap. Non nos 1. dist. 40. ibi: "Quis enim Sanctum dubitet esse, quem apex tantæ dignitatis atollit? In quo, si desint bona requisita per meritum, sufficiunt, quæ à loci prædecessore præstantur: aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut æqui eriguntur, illustrat." Neque Sanctissimus appellari possunt Imperatores, & Reges: quamvis enim in legibus civilibus videatur aliquando usurpatum ab Imperatoribus nomine Sanctissimi, nunquam tamen illud Sanctissimi, ut observat Card. Petra tom. 1. Comment. ad constit. 1. Divi Leonis Magni num. 9. Et merito solus Papa appellatur nomine Sanctissimi, quia solus ipse est Vicarius Christi, qui est fons, & origo, atque plenitudo omnis sanctitatis; cap. Inter corporalia 2. cap. Quanto 3. & cap. Licet 4. de translatione Episcopi cum similibus.

Papa præ excellentiam suæ supremæ dignitatis vocatur Episcopus Episcoporum, cap. Novitatis 6. caus. 7. quæst. 1. cap. Loquitur 18. caus. 24. quæst. 1. Item appellatur Ordinarius Ordinarium, cap. Cuncta per mundum 17. cap. Per principalem 21. caus. 9. quæst. 3. Item Episcopus Universalis Ecclesiæ, prout definit Pelagius II. const. incip. Manifesto Item Episcopus, seu Divesanus totius Orbis, cap. Ad honorem 4. de auctoritate, & usi palli. Glossa verb. Privata in cap. Felicitas §. final. de penis in 6. Item Divinus Monacha, & Imperator Supremus, & Rex Regum, Annotat. secunda part. ad dec. 2. Rot. Recentior num. 7. Hinc Papa triplici corona coronatur tamquam Rex Cæli, & Terræ, & Infernorum. Annotat. 1. ad dec. 2. part. 3. Rot. recentior. §. 45. num. 61. Immo Romani Pontificis excellentia, & potestas, nedum est circa cælestia, terrestria, & infernalta, sed etiam super Angelos, quorum ipse major est. Cit. Annot. 1. ad dec. 2. part. 3. Rot. Ferrar. Biblioth. Tom. VII.

15 Rom. recent. §. 5. n. 24. Ita ut si foret possibile, quod Angeli errarent in fide, vel contra fidem sentirent, per Papam iudicari, & excommunicari possent, cit. Annotat. 1. ad dec. 2. Rotæ Romane recentior. §. 5. n. 24.

De triplici Papæ corona Nicolaus Alemanus de Lateranensis parietinis cap. 13. pag. 48. tom. 8. part. 4. Thesauri Antiquit. & Historiarum Italia, ita scribit: Tiaræ triplicis coronam ex Pontificibus primus gestavit ante annos non amplius ducentos quinquaginta Urbanus V. duplici vero Bonifacius VIII. Nam Superiorum Pontificum tiaras in vetustis imaginibus ac monumentis unius coronamenti & Rome cornutus, & Sugerius describit. Capituli ejus (Innocentii IV.) phrygium ornamentum Imperiale instar galæ circulo aureo circumnatum imponitur. Circa ea, quæ de triplici Papæ regno, deque potestate in Sanctos Apostolos, quorum ipse sit major, Auctor noster recenset, consulendi sunt Theologi; Quæ enim ex Jurisconsultis ipse refert, Eruditus Theologus suspecta, & quandoque etiam ridicula habentur. Capiti enim, ac visibili Ecclesiæ Principi, non alii sane, quam visibiles subditi, fideles scilicet homines designari videntur, atque in eos tantum solvendi, ligandique potestatem exercet, eos scilicet regendo, absolvendo, vel per censuras ligando dum vivunt, & per indulgentias juvando vita functos.

† Mirandum, quod Theologus noster sic parvipendat jurisconsultos; ut quæ ipsi tradiderint, eruditus Theologus suspecta, & quandoque etiam ridicula haberi pronuntiet! Nonne classici jurisconsulti sunt etiam sepe eruditi Theologi? Talis certe fuit celeberrimus Paulus Rubens, qui cit. Annotat. ad dec. 2. part. 3. recentior. Sac. R. Rotæ innumeros allegat pro suis conclusionibus Theologos, ac in multis etiam SS. Patres. Et si talis non fuisset, sacrum illud supremum tribunal nequaquam permisisset, quod suis decisionibus adnecterentur Rubei eruditissimæ annotationes. Legant itaque eruditi omnes dictas sapientissimi jurisconsulti annotationes ad dec. 2. p. 3. Sac. Rom. Rotæ rec. Et iudicium ferant.

16 Tanta enim est dignitas, & potestas, ut faciat unum, & idem Tribunal cum Christo, ut per textum in cap. Quanto 3. de translatione Episcopi tenent passim Doctores adducti in cit. Annotat. 1. n. 68. ad dec. 2. part. 3. Rotæ recent. Adeo ut quidquid facit Papa, ab ore Dei videatur procedere, ut post plurimos Doctores, ratiocinatur Rota in foro Sempiterni. & Bugabina, seu Nullius, Emphyteusis 16. Junii 1636. coram Cocceio §. Hinc inferendo vers. ita ut quod fit à Papa, ab ore Dei videatur procedere, cit. Annot. 1. ad dec. 2. §. 5. n. 31. part. 3. Rotæ recent.

18 Deveniendo igitur ad Papæ auctoritatem; Papæ quasi Deus in terra, unicus Christifidelium Princeps, Regum omnium Rex maximus, plenitudinem potestatis continens, cui Terræ simul, ac Cælestis Imperii gubernacula ab Omnipotenti Deo creditæ sunt, prout clare habetur in c. Omnes 1. dist. 22. ibi: "Qui (scilicet Christus) æternæ vitæ Clavigero Terreni simul, & Cælestis Imperii Jurâ commisit, & in Extravaganti Joannis XXII. c. Si Fratrum unice. Non Sede vacante, aliquid innovetur. Et in alia celebri Extravaganti Bonifacii VIII. incip. Unam Sanctam Catholicam, de majoritat. & rubeis. inter Communes."

19 Congruunt ulterius quoad Papæ summam auctoritatem, & potestatem textus Juris Casarei, nempe in l. Reddentes honorem; Cod. de Summa Trinitate, & Fide Catholica; l. Bene à Zenone; Cod. de quadrimestri præscriptione; l. Omnes dies; cod. de Feriis, & Auctoritate Monachis §. Si vero recitans; Authentice; de Ecclesiasticis ritual. §. 1. collatione omnium similibus.

Non minus Summam Papæ auctoritatem, & potestatem extollunt rescripta, & dogmata variorum aliorum Imperatorum, nempe Valentiniani, Othonis, Caroli Magni, Constantini &c. quæ ex eorum Constitutionibus refert Gratianus in cap. In memoriam 3. dist. 19. ibi: *Per Legatos Apostolicam interpellat sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere &c.* & in ejus summario expresse dicitur: *Tolerandum est jugum, quod à Sancta Sede imponitur, licet intolerabile videatur;* cap. Valentinianus 3. dist. 63. ibi: *Nos, qui gubernamus Imperium, Pontificibus sincere capita nostra submitimus;* cap. Tibi Domino Joanni Papa 33. ead. dist. 63. ibi: *Sanctam Romanam Ecclesiam, & Te Rectorem ipsius exaltabo;* cap. Constantinus 14. dist. 96. ibi: *Ut sicut Beatus Petrus in terris Vicarius Filii Dei fuit constitutus, ita & Pontifices ejus successores in terris Principibus potestatem amplius, quam terrena Imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videatur."*

Magis, magisque supremam Papæ auctoritatem, potestatemque extollunt plurimi sacri canones, & ibi Canonistæ communiter, & signanter in c. Cleros 1. c. In novo 2. & c. Quamvis universæ 3. dist. 21. c. Non nos 1. & c. Si Papa 6. dist. 40. c. Si inimicus 1. dist. 94. c. In scripturis 8. c. Quis dicitur 9. c. Duo sunt 10. & c. Si Imperator 11. dist. 96. c. Auctoritatem 2. c. Alius 2. c. Nos Sanctorum 4. c. Juratos 5. caus. 14. q. 6. c. Si quis svademe 29. caus. 17. q. 4. cap. Venerabilem 34. de electione cap. Solite 6. de majorit. & obed. cap. Quanto 3. & cap. Licet in tantum 4. de translatione Episcopi. c. Cum ex eo 14. de penis. & remission. cap. Novit. 13. de iudiciis, cap. Per venerabilem 13. Qui filii sint legitimi, c. Significatis 4. & c. Licet 6. de electione. c. Licet. 20. de foro competent. c. Fundamenta 17. de elect. in 6. c. Ad Apostolicæ dignitatis 2. de sent. & re judicata in 6. c. Periculosa unic. de statu Regular. in 6. Clement. Dudum 1. de iudiciis Clementin. Romani Principes unice. de iurejurando, cum aliis infinitis similibus.

Unde ad hanc mirabilem auctoritatem, seu potestatem Summi Pontificis reflectendo S. Cyrillus Alexandrinus in libro Thesaurorum admirabundus sic altissime de eo loquitur: *Filius Dei, quemadmodum ipse à Patre accepit ecclesiam, & gentium sceptrum, & potestatem super omnem principatum, & super omne quodcumque est, ut ei genua cuncta curvantur; ita eandem amplissimam potestatem Petro, & ejus Successoribus plenissime commisit.*

Hinc jam communis docet opinio, quod Papa utriusque gladii habeat potestatem, spirituales scilicet, & temporales, quam jurisdictionem, & potestatem Christus ipse commisit Petro, & ejus successoribus, Matth. cap. 16. n. 19. dicens: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* Ubi notant Doctores, quod non dixit *Clavem*, sed *Claves*, per hoc comprehendens temporalem, ac spirituales potestatem §. Annotat. ad dec. 2. part. 3. Rotæ recentior. §. 2. n. 6. Quæ opinio auctoritate Sanctorum Patrum, Juris canonici, & civilis dispositione, ac apostolicis constitutionibus latissime confirmatur, ac Annot. §. 2. n. 1. & seq. Adeo ut contrarium affirmantes videantur ad hæerere fere illi opinioni hæreticorum reprobatæ per Bonifacium VIII. in Extravaganti Unam Sanctam 1. de majoritate, & obediens. cit. Annotat. 4. n. 6. & seq. Et concordant Extravaganti Joannis XXII. cap. Si Fratrum unice. Non Sede vacante aliquid innovetur, & const. Gregorii IX. incip. Cum juxta testimonium veritatis, cum aliis similibus.

Unde Principes, & Reges infideles possunt per sententiam Papæ privati in certis casibus dominio, quod



quod habent super fideles, ut si terras christianorum vi occupaverint, vel subditos fideles a fide avertere satagent, & hujusmodi, ut satis aperte demonstrant. Cardin. Bellarmin. in Apolog. contra Regem Angliæ capit. 3. Suarez in defensione fidei catholice contra eundem Regem Angliæ lib. 3. cap. 23. Barbosa in cap. Si papa 6. dist. 40. & in cap. Venerabilem, de electione. & electi potestate, & in Clem. unic. de Jurjurando, Gonzalez in cap. Venerabilem de electione. Card. Petta tom 1. Commentar. ad constit. unic. Gregorii VIII. d. n. 33. & seq. & alii passim.

27 Et inde Papa provincias, quæ olim christianorum erant, ab infidelibus occupatas alicui ex Principibus Christianis regendas concedit, ut inquit Bartolus in l. Liber homo, ff. de verbor. obligat. & in leg. fin. ff. de action. empti, & in l. Is, qui apud hostes, ubi Jason ff. de Legatis 1. Bald. in l. 1. C. de emancip. filior. & in l. 1. Cod. de Paganis, Barbosa in Collectan. Juris Canonici, in cap. Vergentis, de Hæreticis, & plurimi alii dicentes, Regem effectum hæreticum posse per Papam amoveri à regno, & ad eum spectare Jus eligendi, si ejus filii, & propinquiores sint quoque hæretici. Annotat. ad decis. 2. part. 3. Rota recentior. §. 30. n. 5.

28 Immo Papa in casibus, quibus propter hæresim Regis videat periclitari religionem illius regni, fidei demque aliorum, nec aliter tanto damno succurri possit, tunc potest non solum à Rege regnum, sed etiam ab ejus successoribus in totum auferre, & Principi Christiano, suisque successoribus, si illud debellaverit, concedere. Molina in tract. de primogen. Hispaniar. lib. 4. tit. 11. num. 37. vers. Ex qua causa potest regnum Romanum Pontifex Regi Hæretico, & ejus Successoribus auferre: Jacob. Menoch. in Concil. 808. n. 75. vers. Jure potest Summus Pontifex privare regno non solum Regem &c. lib. 9. citat. Annotat. ad decis. 2. part. 3. Rota recentior. §. 30. n. 5. Et de hoc exemplum habetur in Joanne Rege Navarre, qui à Julio II. Pontifice damnatus fuit ob crimen schismatis; unde eum, ac successoribus regno privavit, omniaque ejus bona publicavit, & primo occupantibus ample concessit, donavitque in persona Regum Hispaniarum Catholicorum tunc viventium, eorumque successorum. Alvarez in specul. Roman. Pontif. cap. 16. Ferdinand. Vasquez de Successione. part. 2. lib. 1. 155. Annotat. ad decis. 2. part. 3. Rota recentior. §. 45. n. 56.

(Quod ad præsens attinet argumentum, si forte exempla aliqua quisvis inquirere voluerit, adeat D. D. Joannem de Solorzano Pereira (vid. verb. Alternativa, art. 2. in addit. hisp.) tom. 1. de Indiarum jure lib. 2. ex cap. 21. ad 24. inclusive ubi more suo patefacit potestatem, & jurisdictionem temporalem supra omnes Principes, tam fideles, quam infideles Summum Pontificem habere, ad minus in quantum finis supernaturalis ad quem auctoritas dirigitur spiritualis, exposcit: ibique omnia in oppositum contententia refutata invenies: verum etiam Bullas jussu D. Calixti III. D. Alexandri VI. (Ex nobilissima stirpe de Borja uterque natione Hispanus) atque D. Hadriani (ni fallor) VI. expediti mandata, donationem, & assignationem totius novi orbis terrarum demonstrantes, D. D. Ferdinando, & Elisabethæ, Castellæ, & Aragoniæ Regibus, non secus ac Lusitanis regni dominium earum concedentes, simulque insula Hiberniæ Britannico Principi, formulam, sub qua tituli ad prædictarum ditionum acquisitionem expediebantur, & quæ post citata diplomata enarratur, percurrere non omittas. Reperies in dicta formula vers. De todas estas gentes: quantam venerationem hispaniæ nationes semper versus Divi Petri successores exhibuerint. Vid. p. 148. verb. Ecclesia, in add. notis. Memoria commendæ Bullam Sanctitatis D. Julii II. ac D. Greg. XII. tit. A p. 8. & 188.)

Unde nil mirum, si Romano Pontifici, tamquam Vicario ejus, cujus est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo &c. non solum spirituali, sed etiam gladio materiali evangelinato, attributa sit, justa eadem causa, plenissima auctoritas, atque potestas transferendi imperia, scepra frangendi, coronas auferendi. Quia plenitudinis potestate, non semel, sed sæpius Romani Pontifices usi sunt toties, quoties opus fuit, accingendo gladium suum super femur suum potentissime, ut satis superque palam est, atque de hoc amplissimum testimonium faciunt tam Theologi, quam juris pontificii, ac cæsarei Professores, atque innumeris inculpatæ fidei Historici, tam profani, quam sacri, tam Græci, quam Latini, ut videre est in Annotat. ad decis. 2. part. 3. Rota rec. §. 45. n. 53. & seq. & num. 57. ubi ad id referunt multa exempla, & signanter de Gregorio Papa II. qui à celsitudine imperiali deposuit Leonem II. Cæsarem; de Gregorio Papa VII. qui deposuit Henricum IV. Imperatorem; de Alexandro Papa III. qui deposuit Federicum I. Imperatorem; de Innoc. Papa II. qui deposuit Othonem Cæsarem; de Innocentio Papa IV. qui deposuit Federicum II. Imperatorem; de Clemente Papa VI. qui deposuit Ludovicum Bavarum. Et insuper possent adduci exempla diversorum Regum, aliorumque Supremorum Principum, quæ brevitatis gratia omittuntur, cum sint nota, & videri possint in caterva Doctorum adducta in cit. Annotat. ad decis. 2. part. 3. Rota recentior. §. 45. n. 53. Vide ad id Jura supra adducta numer. 21. Card. Bellarmin. tom. 1. contrav. de transit. Summi Pontificis in temporalibus per tot. & de potest. Summi Pontificis in temporalibus per tot. Cardin. Petram tom. 1. comment. ad constit. unic. Gregorii VII. & tom 2. comment. ad const. 4. & 6. Innocentii III. & ad constit. 1. Honorii III. sed 2. & tom 3. comment. ad constit. 7. Alexandri IV.

Papa tanta est auctoritatis & potestatis, ut possit quoque leges divinas modificare, declarare, vel interpretari; Annotat. ad decis. 2. part. 3. Rota recentior. §. 4. n. 24. & seq. ubi plures adducuntur, refertque Sordus decis. Mantuan. 30. num. 27. vers. Hinc dicimus, quod Papa potest contra legem divinam aliquando venire limitando, declarando &c. & clarissime id assertit Petrus de Anchar. in Consil. 373. num. 3. vers. Papa Jure divinum potest modificare, cum ejus potestas non sit ex homine, sed ex Deo, & in terris Dei vires fungitur cum amplissima potestate over suas ligandi, & solvendi, & sub numer. 7. subjungit, quod ipse Deus Dominus & Redemptor dicitur facere quod facit ejus Vicarius; Dummodo non faciant contra fidem. Covate. lib. 1. variar. resol. cap. 17. n. 8. S. Henricus tandem vers. Summi Præsulis dispensatio: & post Abb. & Felinum hanc esse communem opinionem testatur Scacc. in tract. de judiciis lib. 2. cap. 9. n. 382. vers. Papa potest interpretari, & ex causa limitare Jus divinum, ut tradunt communiter omnes: cit. Annotat. ad decis. 2. part. 3. Rota recentior. §. 4. n. 24. Et quoad hoc, vide etiam verb. Dispensatio n. 20. Et quod Papa ipse solus possit Jus divinum declarare, & certitudinaliter interpretari, meminit Rota in Gerunden. Scribanie 21. Maji 1638. coram claræ mem. Merlino §. causa semper præsumitur in geris, verb. Papa quippe est supra omne Jus positivum; immo declarat ex epistola ipsius Jus divinum; cit. Annotat. ad decis. 2. part. 3. Rota recentior. §. 4. n. 25. Papa enim hoc potest etiam sine Concilio Generali, cum Concilium Generale non sit supra Papam, sed Papa sit supra Generale Concilium, ut abunde probatum est verb. Concilium art. 1. d. n. 66. ad 68. Vide ibi.

Quanto vero Papa major, & excelsior est omnibus, tanto humilior se reputat, & nominat, ac

se vocat Servum Servorum Dei, ut patet in cap. Relatum 37. in fine de revent. excomm. & Glos. verb. Servus, in proem. Sixti Decret. Flamin. Paris. de resignat. benef. lib. 8. quest. 7. num. 101. ubi subdit, quod Papa de stylo ita se Servum Servorum Dei appellat, ut si appareat Bulla sine hujusmodi inscriptione, de falso sit suspecta tamquam contra sylum. Ideo autem Papa se vocat Servum Servorum Dei, ne ex tali, tantaque digonitate, & auctoritate in superbiam incidat, pro oculis semper habendo illud salubre dominicum præceptum: Qui major est vestrum, fiat sicuti minister, Matth. 20. Luc. 22. Marc. 10. cap. Nullus primas 7. claus. 9. quest. 3. vere sic imitans Jesum Christum, qui non venit ministrari, sed ministrare, & cum esset coequalis Patri Omnipotenti, & omnia Verbo, id est, per ipsum fecerit, Joann. 1. nihilominus pro nostra, omniumque redemptione formam Servi accepit. Ad Philippens. 2. Annotat. ad decis. 2. part. 3. Rota recentior. num. 10. Barbosa lib. 1. juris ecclesiast. univers. cap. 2. num. 29. & alii passim.

35 Primum Pontificem, qui se Servum Servorum Dei nominavit, fuisse S. Gregorium Magnum referunt Additio ad Gloss. verb. Servus, in proem. Sext. Decret. Card. Petta tom. 1. comment. ad constit. unic. Joannis XV. num. 3. Alvar. Pelagius de planctu eccles. lib. 2. cap. 13. vers. Iste Gregorius: Andr. Gammat. in Extravagan. Julii II. de Simoniaca Papa electi. in verb. Julius num. 10. Dionysius Paul. de vera quatuor Patriarchal. Sedium erect. cap. 17. num. 72. Ast vero prior omnium fuit S. Damasus Papa, ut constat ex epistola ejusdem ad Stephanum Archiepiscopum, quæ invenitur inter opera S. Clementis Papæ, & egomet ipse pluries legi, & tom. 1. Concil. in abis S. Damasi Papæ fol. 329. cujus vestigia postmodum sequutus fuit S. Gregorius Magnus in omnibus suis Epistolis, ut refert Azorius Institut. moral. part. 2. lib. 5. cap. 3. vers. Gregorius Magnus: Barbosa loc. cit. num. 36. Sanctus enim Damasus multo tempore præcessit Sanctum Gregorium Magnum, cum Sanctus Damasus fuerit trigesimus nonus Pontifex Maximus à Sancto Petro, & fuerit ordinatus Papa die prima mensis Octobris anni tricesimi sexti, & Sanctus Gregorius Magnus fuerit sexagesimus sextus, & fuerit consecratus Pontifex Maximus die tertia mensis Septembris anni quingentesimi nonagesimi juxta Tabulam Chronologicam eruditissimi Patris Graveson tom. 8. part. 1. histor. eccles.

36 Papa potest cedere, & renuntiare Papatui abdicando à se dictam supremam, & omnium maximam potestatem Jurisdictionis per modum voluntatis sufficienter expressum, textu expresso in cap. Quoniam 1. de renuntiatione in 6. Et talis renuntiatione fieri debet apud collegium Cardinalium, cum ad ipsum dumtaxat spectet Pape Successoris electio, ut fuit ostensum articulo præcedenti num. 21. Et de facto Sanctus Coelestinus V. apud dictum Sacrum Collegium fecit sui Papatui renuntiationem, ut patet ex forma dictæ renuntiationis, quam tradidit Carillus in suis Annal. chron. lib. 4. anno 1294 fol. 373. & Barbosa loc. cit. num. 213. his verbis: Ego Coelestinus Papa V. motus ex legitimis causis, id est, causa humilitatis, & melioris vite, & conscientie illæ, & debilitate corporis, defectu scientie & malignitate populi, & infirmitate personæ, & ut præteritis consolationis vite possim reparare quietem, sponte, ac libere cedo Papatui, & expresse renuntio loco, & dignitati, oneri, & honori, dans plenam, & liberam facultatem ex nunc sacro catholice Cardinalium eligendi, & providendi dumtaxat Canonice Universalis Ecclesie de Pastore.

38 Quantum ad Papæ infallibilitatem, advertendum est, quod Papa potest considerari dupliciter. Primo quoad se, & ut persona privata, privatusque Doct-

tor. Secundo quoad alios, ut persona publica, & magister universalis ecclesie eam ex cathedra dicens proponendo quid credendum, quidve agendum sit. Loqui autem Papam ex cathedra nihil aliud est, quam ipsum esse à Deo constitutum magistrum universalis ecclesie, & hujus regulam visibilem, indeque auctoritate supra sui pontificatus judicare, & definire de dubiis Fidei, & doctrina morum, ac factis dogmaticis, & sic ecclesiam docere quid credere, vel agere debeat. Est in re Communis. Hinc loqui ex Cathedra non arctatur præcisè ad ea, quæ Papa proponit ut à Deo revelata, & à nobis credenda fide theologica, uti quando aliquam doctrinam damnat ut hæreticam, vel definit esse de fide; sed insuper extenditur ad cetera, quæ proponit seu tenenda, seu servanda; uti quando aliquam doctrinam proscribit ut temerariam, scandalosam, & hujusmodi, seu declarat aliquem contractum, aut factum esse illicitum, & hujusmodi.

His breviter notatis concluditur, quod decreta, quæ edit Papa ex cathedra circa doctrinam fidei, & morum sunt infallibilia. Est de Fide.

39 Probatu prima pars conclusionis, scilicet quod infallibilia sint decreta Papæ circa doctrinam fidei; Christus enim promisit, & dedit Papæ in persona Petri suam assistentiam, ne in definiendis rebus fidei erraret, ut patet ex illo Lucae 22. num. 41. ibi: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Nec valet dicere, quod hic textus debeat intelligi de tota ecclesia, & quod Dominus oraverit pro Petro, quatenus totius ecclesie figuram gereret. Non valet, inquam, quia hæc interpretatio, seu expositio omnino falsa est, cum ibi Dominus unam tantum personam designaverit dicens bis: Simon, Simon, & addens pluries pronomen secundæ personæ, pro te, fides tua, & tu, fratres tuos, quæ verba clare indicant fuisse à Christo Domino imperatum aliquid speciale Petro; Si enim de tota ecclesia fuisset loquutus, multo rectius dixisset Rogavi pro vobis, quam, Rogavi pro te; Tum quia Deus pro illo rogat, cui dicit, Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Hæc enim verba nequeunt toti ecclesie convenire, quia ipsa non habet, unde converteratur, cum nunquam defecerit, nec unquam sit defectura juxta infallibilem Christi promissionem. Matth. 16. num. 18. ibi: Porta Christi non prevalebunt adversus eam. Nec ecclesia habet fratres, quos debeat, & possit confirmare, cum omnes fideles sint ejus filii.

40 Nec etiam valet dicere, quod auctoritas illa pertinet præcisè ad personam solius Petri, non vero ad ejus Successores Romanos Pontifices. Non valet, inquam, quia Petro mortuo, debuit Jure divino, seu ex Christi institutione alius pro regimine ecclesie succedere, aliàs Christi promissiones, quibus promissum ecclesie suam usque ad finem mundi duraturam, Matth. 28. num. 20. Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Joan. 14. num. 16. Et Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, essent propterea inutiles, & sine effectu: Nam quomodo ecclesia esset usque ad mundi finem duratura, si mortuo Petro, alius non esset caput visibile ecclesie, qui eam in externo regimine gubernaret? Tum quia dum Christus Joan. 21. num. 17. dixit Petri: Pater over meas, & Matth. 16. n. 17. dixit eidem: Et tibi dabo claves regni Cælorum, & quocumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cælis, & quocumque solveris super terram, erit solutum, & in Cælis, ordinarium, & perpetuum pastoris officium constituit. Hinc optime sciens Petrum brevi duraturum, Petri nomine ejus etiam Successores intellexit, in quibus perpetua esset ordinaria cu-



citra, & potestas gubernandi & pascendi suas oves, modo pro officio pastoris, quod ex maxima parte consistit in pabulo veræ doctrinæ spiritualis exhibendo, modo per aliam metaphoram ligandi, & solvendi, seu clavium, tollendo scilicet impedimenta, quæ clauderent ingressum regni Cælorum.

45 Propter quod Patres, & Concilia verba illa: Tu es Petrus, super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcumque ligaveris, &c. Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos: Pasce oves meas, declarant esse intelligenda, nedum de Petro, sed etiam de omnibus ejus successoribus Romanis Pontificibus; Sic enim declarantur Leo I. relatus in cap. Ita Dominus 7. dist. 19. Innocentius III. relatus in cap. Majores 3. de Baptismo, & varii alii antiquiores Pontifices, & Patres, quos refert Card. Bellarm. tom. 1. Contr. de Romano Pontifice lib. 4. cap. 3. Ita etiam declarantur Concilia Generalia, & signanter Chalcedonense act. 1. 2. & 16. Lateranense IV. Can. 5. & aliis brevitate gratia omissis, clarissime Concilium Florentinum in literis unionis, ibi: Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque ecclesie caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.

46 Probatum secunda pars conclusionis, scilicet, quod infallibilia sint decreta Papæ circa doctrinam morum. Est de Fide, quod ecclesia sit Sancta, ut in Symbolo Apostolorum vocatur: ergo & de fide est, quod Papæ docens ex cathedra errare non possit in tradenda doctrina morum, adeoque decreta ab ipso ex cathedra edita circa morum doctrinam sunt infallibilia. Si enim posset errare, approbando doctrinam falsam, & malam pro vera, & bona, & reprobando veram, & bonam pro falsa, & mala, jam ecclesia non esset Sancta, quia ecclesia dicitur Sancta potissimum ob sanctam suam professionem, quia nimirum legem, & professionem sanctam proficitur, quæ nihil docet falsum, nihil præcipit malum; tum quia si Papæ posset errare circa doctrinam morum, docendo falsa pro veris, & approbando mala pro bonis, ecclesia necessario erraret circa fidem, quia contra fidem catholicam docentem omnem virtutem esse bonam, omne vitium esse malum, teneretur credere virtutem esse malam, & vitium esse bonum, utpote sic sibi propositum à suo magistro, cui tamquam vivæ regulæ fidei teneretur obtemperare; ecclesiam autem errare circa fidem est impossibile, cum sit columna, & firmamentum veritatis 1. ad Tim. 3. cui assistit Spiritus Sanctus, ne erret, docensque ei omnem veritatem, Joan. 16. ibi: Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

47 Obijciuntur contra nostram conclusionem varii Summi Pontifices, qui præterduntur errasse, & decreta contra fidem, & bonos mores ex cathedra edidisse. Sanctus enim Petrus ad Galatas 2. erravit cogendo Gentiles judicare; Liberius subscripsit formulæ Fidei Arianzæ, & condemnationi D. Athanasii veræ fidei defensoris; Zephyrinus Montani hæresim approbavit; Vigilius damnavit doctrinam de duabus naturis in Christo; Stephanus VI. & Sergius III. irritaverunt acta Formosi, quæ tamen postea cassata circa hoc Stephani, & Sergii decretis, approbavit Joannes IX. Honorius primus admisit cum Monothelitis unicam in Christo voluntatem; Gregorius III. in cap. Quodsi propositi 32. quæst. 7. erravit definiendo, quod si mulier propter infirmitatem non possit debitum reddere, possit vir aliam

ducere: Nicolaus primus in cap. A quodam Judæo, de consecrat. dist. 4. falso definiit validum esse Baptismum in nomine Christi collatum; Gelasius in cap. Comperimus de consecrat. dist. 2. falso dicit non posse citra sacrilegium sumi unam speciem Eucharistiz sine alia.

Respondetur tamen, quod nullus ex adductis Pontificibus erravit in decretis editis ex cathedra circa doctrinam fidei, & morum.

48 Circa responsionem ab Auctore allatam consule Natalem Alexandrum cum annotationibus P. Mansi, Clar. P. nunc Emin. Cardinalem Orsi de Romano Pontifice, Emin. Gotti, Antonium Morphi, aliosque Theologos, qui longe mellius illos Romanos Pontifices ab objectis criminibus, & erroribus vindicant, ac nequidem in extremam hæresim incidisse demonstrant. Vide etiam Clar. Bartol. in vind. Honorii 4.

Non erravit S. Petrus proponendo ecclesie falsum dogma, sed solum erravit facto quatenus abstinendo coram Judæis à conversatione Gentilium conversorum indirecte eos inducebat ad judicandum. Sic Liberius non approbavit definitivè hæresim Arianam, sed solum metu tormentorum subscripsit condemnationi Athanasii, & communicavit eum Episcopis Arianis. Unde solum peccavit contra confessionem fidei, inciditque solum in hæresim externam, sicuti ex metu mortis thurificavit idola Marcellinus, & Christum negavit Petrus, qui ideo fidei confessionem externam non sustinuerunt; sed non ideo amiserunt fidem internam, quam in corde vere servaverunt, ut colligitur ex verbis Christi Luc. 22. num. 31. ad Petrum; Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Hinc Liberius Epistol. ad Ursacium anathematizat Arianos. Unde quamvis Petrus, Marcellinus, & Liberius peccaverint, nihil tamen per hoc ex cathedra decreverunt contra doctrinam fidei, & morum. Zephyrinus Montani hæresim nullatenus approbavit, sed misit solum literas pacis ad ejus Sectatores, putans doctrinam Montani non esse Fidei Romanæ contrariam, quas tamen revocavit statim ac à Praxæa, & aliis fidei edoctus de Montani erroribus. Vigilius, quando damnavit doctrinam catholicam de duabus naturis in Christo, non erat verus Pontifex, sed intrusus in Pontificatum ope Theodoræ Imperatricis Hæreticæ, vivente adhuc Liberio vero Pontifice; quando vero, mortuo Liberio, fuit verus, & legitimus Pontifex, ipsam Imperatricem cum aliis Hæreticis excommunicavit, & doctrinam catholicam usque ad mortem in exilio propugnavit. Stephanus VI. & Sergius III. errarunt solum in questione facti: putantes enim Formosum non fuisse legitimum Pontificem, ejus acta annullarunt; quæ restituit Joannes IX. ubi deprehendit fuisse legitimum. Honorius primus dum in Christo unam voluntatem esse rescripsit, non intellexit cum Monothelitis esse solum divinum, sed non esse duas humanas contrarias, & pugnantes; sicuti sunt in nobis post peccatum, in quibus caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, volens Honorius per id ostendere, quod à Christo non fuerit assumpta natura vitiosa, & Adami labe corrupta, sed incorrupta, & integra, quæ vacua erat concupiscentiæ moribus, & motibus spiritui, ac rationi contraria, & sic omnia, quæ in ejus carne erant, subiecerunt perfecte, & sine ulla rebellionè spiritui. Gregorius III. loco citato intelligendus est de impotentia perpetua matrimonij dirimentè. Nicolaus primus docuit quidem in eo textu Baptismum in nomine Christi collatum esse validum, sed addidit statim: Sicut conferebatur verum Apostolorum. Krenim Actorum 8. dicitur: In nomine Christi baptizabantur viri, ac mulieres. Cum autem tempore Apostolorum Baptismus conferretur vel in nomine Christi ob specialem dispensationem, ut redderet venerabile nomen il-

lud tunc temporis exosum, ut docet D. Thomas, vel potius, ut alii putant, quia in forma Baptismi etiam nomen Christi exprimebatur dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii Jesu Christi, & Spiritus Sancti. Idecirco rectè Nicolaus primus ad Bulgarios respondit validum esse Baptismum hoc pacto à Judo collatum. Gelasius, loco citato, loquitur de Sacerdote sacrificante, cui non licet unam tantum Eucharistiaz speciem sumere. Hinc universim, si quando Pontifices errarunt, vel errarunt ut Doctores privati, vel in questionibus facti non habentibus connexionem cum questionibus Juris ad fidem, vel mores spectantibus, ut passim Controversiæ dogmatici ostendunt. Et sic solvuntur omnes objectiones, quæ possunt, & solent adduci de variis Pontificibus qui præterduntur errasse.

49 Papa errare non potest in canonizatione Sanctorum; Est de fide. Ita Laurea de fide disp. 7. art. 3. §. 1. Leytan Synop. Eccler. milit. discept. 6. sect. 1. ubi plures allegat Diana Coordin. tom. 1. tract. 3. resol. 15. Casrop. part. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 5. n. 2. Joannes de Neapoli in quodlibet 11. relatus à S. Antonio in 3. part. tit. 12. §. 2. & à Fagnano lib. 2. decretal. in cap. Venerabili 25. n. 29. & seq. Valentia 2. disp. 1. q. 1. part. 7. art. 6. §. 4. vers. Itaque, Mathæucci in opere dogmat. controvers. 7. c. 5. n. 3. Felix potestas tom. 2. part. 2. c. 7. n. 307. Henno tom. 1. tract. de virtutibus disp. 2. q. 2. art. 6. conclus. 2. Viva in q. Prodroma ad propositiones damnatas n. 11. ubi dicit esse communionem cum S. Bonaventura, Bellarmino, Amicos, Valentia, & aliis; Bord. resol. 113. n. 15. Verricelli tract. 8. q. 24. & 25. & plurimi alii, & signanter Luca Castellinus de certitudine Glorie Sanctorum cap. 3. punct. 48. & c. 4. punct. 3. & seq. Rodericus de Arriaga in disputationibus Theologicis in 2. 2. Divi Thomæ tractat. de Fide disp. 9. sect. 5. n. 27. Adamus Tannerus Theolog. Scholastic. 1. 3. disp. 21. de Fide q. 4. dub. 7. Aloysius Turrianus in disp. n. 22. Divi Thomæ disp. 16. dub. 3. Alphonsus à Castro de jure Hæreticorum punitione 1. 2. capit. 6. Ricciolus in libro cui titulus: Immunitas ab errore tam speculative, quam pratico definitionum Sanctæ Sedis Apostolicæ, & alii relati ab Eminentissimo Cardinali Prospero de Lambertinis, in præclarissimo suo opere de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione 1. r. c. 45. ubi doctissime, & eruditissime more suo adductis hinc inde pro, & contra Auctoribus, & rationibus tandem concludit, quod contrarium sentientes, licet non sint formaliter hæretici, ex quo id nondum sit ab Apostolica Sede expresse definitum, tamen sunt temerarii, impii, scandalosi, in Sanctos injuriosi, faventes Hæreticis, sapientes hæresim, assertores erroneæ propositionis, & gravissimis penis obnoxii. Vide ibi ipsum, ubi plurima egregie adduci ad rem merito legenda, adscenda, & observanda.

50 Probatum igitur, quod sit de fide Papam errare non posse in canonizatione Sanctorum; Hæc enim propositio: Canonizatio Pontificis in canonizatione Sanctorum errare non potest, requiritur ex Apostoli præmissa de fide, scilicet: Romanus Pontifex docens ecclesiam in illis, quæ spectant ad materiam fidei, & doctrinam morum, errare non potest; sed canonizatio Sanctorum spectat ad materiam fidei; ergo est de fide, quod Papæ errare non possit in canonizatione Sanctorum. Major constat, tum ex dictis supra à n. 42. ad 48. tum ex Evangelio Joan. c. 14. ubi dicitur: Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis; & cap. 16. ubi dicitur: Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; & Matth. cap. 18. ubi habetur: Ubi sunt duo, vel tres congregati in

nomine meo, ibi sum in medio eorum; unde Apostolus ad Timoth. 3. ait: Ecclesia Dei vivi columna, & firmamentum veritatis; Firmitas autem ecclesie, & securitas eam non erratam est fundata in firmitate Capituli, & securitate non erratum Magistrum, & Matth. 16. ibi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebit adversus eam. Minor etiam clare patet, quia canonizatio Sanctorum est actus externæ confessionis fidei contentæ in articulo de communionè Sanctorum. Papa enim in canonizatione definit, Sanctum, quem canonizat, esse vere in gloria, & in consortio aliorum Sanctorum, & decernit sic firmiter ab omnibus tenendum, ut patet in Bullis canonizationum, & signanter in Bulla Leonis XI. incipienti: Exeelsus, ubi in Canonizatione S. Francisci de Paula sic habet: Decernimus & definimus, esse receptum in gloria; & in Bulla Sixti IV. incipit: Superna, ubi in canonizatione S. Bonaventuræ sic loquitur: Hunc Sanctum esse, fideliter, firmiterque teneri debere decernimus; & consimiliter in aliis aliarum canonizationum Bullis, quas omnes adducere nimis operosum esset. Unde S. Thomas quodlibet 9. q. 7. art. 16. in corpore questionis dicit: Honor, quem Sanctis exhibetur, est professio quadam fidei, quæ Sanctorum gloriam credimus, & S. Bonaventura in Opusculo contra Guillelmum ait: Ad infidelitatem spectat de Sancti Canonizati gloria dubitare.

Nec valet objicere, quod judicium Papæ in canonizatione est humanum, cum innitur testimonium humanis, adeoque est fallibile. Non valet, inquam, quia licet judicium Papæ sit humanum dispositivè, est tamen divinum directivè, roboratum nimirum assistentia Spiritus Sancti, qua ita regitur ut in definitione errare non possit; Quamvis enim Papæ utatur testimonio hominum in se fallacibus, illis tamen utitur solum dispositivè, ut maturo procedens consilio, & examine se disponat ad recipiendam motionem Spiritus Sancti, sine qua nunquam devenit ad canonizationem; Hinc Spiritus Sancti motio, directio, & assistentia est unica causa, ut dubitari non possit de iudicio Pontificis, ac etiam ut falsa hominum testimonia rejiciat, & vera admittat.

Nec etiam valet objicere illud saris vulgatum, quod Divo Augustino tribuitur: Multa Corpora Sanctorum venerantur in terris, quorum anima cruciantur in Inferno. Non valet, inquam, quia ultra quam dictum istud non reperitur in veris operibus S. Augustini, ut observarunt Bellarminus tom. 2. lib. 1. c. 91. de Sanctorum canonizatione, Viva loco citat. num. 11. Mathæucci loco citat. num. 19. Felix Potestas loc. cit. n. 313. & plurimi alii: Dato adhuc quod esset Divo Augustini, seu alterius S. Doctoris, nihil probaret contra nostram conclusionem, quia dictum illud est intelligendum de Hæresiarchis, & falsis Martyribus, qui apud multos nomen Sancti obtinent, & superbissimis sepulchris honorantur; cum tamen eorum animæ torqueantur in inferno. Sic Donatistæ suos Martyres honorabant, quos carpit S. Augustinus serm. 325. de Natal. 20. Martyrum: Sic Hussitæ ut Martyrem colunt suum Hæresiarcham Hussium: Sic Lutherani ut sanctum venerantur suum Hæresiarcham Lutherum, & sic de aliis. Non autem est intelligendum de veris Sanctis à Papæ Canonizatis, & Ecclesie propositis de quibus canit Regius Psaltes: Exultabunt Sancti in gloria, & latibunt in cubilibus suis. Gaudent in castris animæ Sanctarum &c. Sic Doctores citati, & alii passim.

An autem etiam sit de fide, quod Papæ nequeat errare, & sit infallibilis in beatificatione Beatorum, variant Doctores. Multi enim licet concedant Papam errare non posse, & infallibilem esse in beatificatione Beatorum infallibilitate morali, & infra fidem, id tamen negant infallibilitate fidei: Unde tenent,



nent, quod qui negaret Beatificatum à Papa esse in gloria, non esset hæreticus formalis, sed ejus propositio esset temeraria, scandalosa, impia, sapiens hæresim, & hujusmodi. Sic Valentia tit. 3. disp. 1. quest. 1. puncti 7. §. 40. Tannerus 2. tit. 1. disp. 17. dub. 6. Henno loc. cit. conclus. 2. Arriaga cum Viva loc. cit. num. 11. & alii quos sequitur Diana Coordinat. tom. 9. tract. 3. resol. 18. num. 6. & alii.

54 Et ratio illorum est, quia beatificatio non est ultimum judicium Papæ, seu Ecclesiæ, quia post illud antequam ad canonizationem deveniatur, fit novum examen, quod non fieret, & injuriosum esset fidei, si de fide esset Papam non posse errare in beatificatione: nam quod est de fide certum, ulteriori examine, & certitudine non eget, cum sit infallibilis veritas. Tum quia Pontifices in Bullis beatificationis uti solent solum verbis concedimus, indulgemus, impartimus, ut talia Beatus appellari, & de eo sacrum, & officium in tali loco, & à talibus personis fieri possit. In Bullis vero canonizationis utuntur verbis explicitis declaramus, definimus, decernimus, & mandamus talem Sanctum ab omnibus venerandum esse, & uti talem ubique, & ab omnibus firmiter tenendum esse. Unde, dicunt ipsi, de fide est, quod Papa non possit errare in canonizatione, & non est de fide, quod non possit errare in beatificatione.

55 Multi autem alii absolute tenent, quod de fide est, quod Papa non possit errare, non solum in canonizatione, sed etiam in beatificatione. Sic Leytan loc. cit. num. 436. Verricelli in qq. Moral. tract. 8. quest. 55. num. 3. Castropalao t. 1. tract. 4. disp. 2. puncti 5. §. 5. num. 5. Matheucc. loc. cit. num. 42. Felix Potestas loc. cit. num. 309. Bordon. loc. cit. & alii plures.

56 Ratio istorum ultraquam quod eadem potest deservire pro beatificatione, quæ supra num. 50. adducta est pro canonizatione, insuper est, quia Papa etiam ad beatificationem nunquam devenit, nisi prius implorata divina ope, & habita motione, illustratione, directione, & assistentia Spiritus Sancti, ex qua certo judicat, & deducit eum infallibiliter esse in gloria, siquæ implicite declarat, ac definit, dum eum beatificat, & ut Beatum Ecclesiæ, ac Fidelium cultui, & venerationi proponit: ergo de fide quoque est non posse Papam errare in beatificatione; Aliàs si Pontifex posset errare in beatificatione, tota ecclesia posset errare in iis, quæ pertinent ad cultum, & venerationem; quia Papa beatificans aliquem, eum toti ecclesiæ venerandum implicite proponit; Quamvis enim divinum officium, & sacrum Deo offerre in ejus honorem non concedatur omnibus, omnibus tamen in ecclesia licet se illius precibus etiam publice commendare, eumque Beatum vocare, & pro tali reputare, colere, & venerari. Quod omnimode repugnaret ecclesiæ sanctitati, & infallibilitati, si non esset de fide Beatum infallibiliter esse in gloria; cum sic tota ecclesia posset errare venerando, & colendo hominem sibi propositum. ut vere Beatum, qui posset forsitan esse damnatus in inferno.

57 Ad rationes autem prioris sententiæ respondent negando, quod beatificatio non sit ultimum, & completum judicium, quod vir Dei sit in gloria, imo per beatificationem ut talis toti ecclesiæ proponitur, & ideo ubique à fidelibus Beatus certo absque formidine in gloria creditur, & ad gratias impetrandas invocatur, quamvis uni soli provincia, aut regno, vel religioni, officio, ac missa colendus permittatur. Nec obstat, quod pro canonizatione novum fiat examen, quia tale novum examen non fit de virtutibus viri Dei, neque de miraculis in vita, aut ante beatificationem patris, quibus probata fuit sanctitas vitæ, & infallibilis existentia Servi Dei in gloria; sed fit solum novum examen de continuatione

miraculorum post beatificationem à Deo ad intercessionem Beati patris, ut inde publico cultu officii, & missæ in tota ecclesia colendus decernatur. Nec etiam officii, quod Pontifices in Bullis beatificationis uti soleant solum verbis concedimus, indulgemus, impartimus. In Bullis vero canonizationis utuntur verbis explicitis declaramus, definimus, decernimus, & mandamus, quia ut recte dicit Trullench. in decalog. tit. 1. lib. 1. cap. 9. dub. 5. num. 3. Pontifices per canonizationem, & beatificationem declarant Servum Dei esse in gloria; per canonizationem quidem in forma explicitè definitiva, & pronuntiativa; per beatificationem vero in forma inductiva, concessiva, & implicite definitiva.

(Absubio confitetur in leg. 65. & præcipue 66. tit. 4. part. 1. ad summum Ecclesiæ Præsulum canonizationem Sanctorum pertinere, procedique ad eam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio: in qua quidem decisione forma præscribitur, eorum processus faciendi, ac de quibus rebus, antequam ad eundem canonizationis actum deveniatur, inquirendum proponitur; recognoscatur glor. ejusd. leg. ubi inter alia, quæ ad dictorum processum formationem signantur, asseritur consilium D. Cardinalium non esse necessitate, sed ex honestate requiri.)

Pontifex errare non potest in approbatione Religionum. Sessa Scrutin. Doctr. cap. 2. art. 13. num. 38. Diana Coordinat. tit. 9. r. 5. resol. 23. Viva loc. cit. num. 12. Leytan Synops. de eccl. milit. discrept. 6. sect. 3. Matheucc. loc. cit. Controv. 7. cap. 5. num. 3. Barbosa l. 1. juris eccl. univ. cap. 2. num. 46. Valentia 2. 2. disp. 1. quest. 1. puncti 7. §. 41. Azorius Inst. moral. part. 2. lib. 5. cap. 7. quest. 2. Bellarminus, Diana, & alii passim contra Canum. Et ratio est, quia approbatio religionum spectat ad materiam morum, cum sic decernatur Institutum talia religionis esse sanctum, salutare, honestum, & medium aptum ad assequendam evangelicam perfectionem, cujus falsitas offenderet puritati, doctrinæ, & sanctitati ecclesiæ. Cum autem Pontifex errare non possit in decretis morum, consequenter neque errare poterit in religionum approbatione.

Neque valet obijcere, quod nullibi reperitur fuisse religiones à Deo revelatas, adeoque Papam posse errare in eorum approbatione, cum solum circa revelata sit infallibilis. Non valet, inquam, quia esto Religiones non sint revelate quantum ad existentiam, eorum tamen honestas, & sanctitas revelata est in hoc principio: Ecclesia est sancta, ecclesia in suo Capite habet infallibilem potestatem circa necessaria, & utilia salutis fidelium; Unde, sequitur omnino; Religio hæc est à Pontifice approbata, ergo est sancta, honesta, & utilis ad salutem, cum Pontifex ex officio sui Pastoratus nequeat proponere ecclesiæ nisi bonum, honestum & sanctum, aliàs portæ inferi prævalerent adversus eam.

Nec valet instare, quod religiones sunt contingentes, cum possint suprimi, & de facto plures fuerint suppressæ, adeoque non posse cadere sub revelatione, quod sint bonæ, honestæ, & sanctæ, aliàs Pontifices suppressores errarent. Non valet, inquam, quia licet religiones sint contingentes quoad existentiam, non tamen quoad honestatem, & sanctitatem. Nec per hoc, quod possint suprimi, & de facto fuerint aliquæ suppressæ, valet inferri, quod in se fuerint, vel evaserint inhonestæ, & male, adeoque vel Pontifices suppressores errarent, aut Pontifices approbatores ecclesiam deciperent, approbando aliquod Institutum, de se malum, & inhonestum, quia causa suppressionis fuit pravitas, & malitia earundem professorum, ex quorum relaxatione cessabant religiones illæ esse utiles ecclesiæ; Unde suppressio non tangit sanctitatem Religionum suppressarum, nec officii infallibilitatem Pontificum.

tificum Prædecessorum, qui eas approbant; sed tangit solum abusus, corruptelas, & relaxationes sine spe emendationis in ipsas à suis professoribus introductas, propter quas, vel alias extrinsecas circumstantias pro statu presentis minus utiles, & convenientes ecclesiæ apparebant, quemadmodum in dies videmus leges ipsas positivas à Prædecessoribus latas revocari à suis respective successoribus, tam Principibus Laicis, quam Pontificibus, seu Præsulis Ecclesiasticis, non quia male per se, & sui natura censentur, sed quia per accidens, & ob extrinsecas circumstantias, aliasque rationabiles causas pro statu presentis, vel minus necessariæ, aut inutilis, seu minus idoneæ ad bonum publicum reputantur.

62 Papa probabiliter etiam ut persona privata non potest in hæresim incidere, & in fide deficere. Ita Albertus Pighius lib. 4. de eccl. hierarch. cap. 8. Gravina tom. 4. p. 2. disp. 1. art. 1. in Appendice ad finem, Titinus tom. 4. Comment. in Scripturam Controv. 6. n. 18. Fragosus de Republ. l. 2. l. 1. disp. 1. §. 2. n. 32. Joannes Wiggers 2. 2. Divi Thomæ de Pontific. lib. 4. c. 6. Jaderin Introduct. ad Lect. disp. 2. art. 8. Suarez tom. 2. de Fide disp. 10. sect. 6. n. 11. Bellarmin. de Pontific. lib. 4. c. 6. Matheucc. Controv. 6. cap. 1. num. 3. & sequ. alique plures, & hanc sententiam valde probabiliter censet etiam Barbosa l. 1. juris eccl. univ. c. 2. num. 51. & probabiliter tenent plurimi alii contra Turrecrematam, Canum, Cajetanum, Sotum, Banez, Valentiam, Castropalao, Turrianum, & plurimos alios, quos referunt Barbosa l. c. n. 47. Pegna Comment. 74. in q. 25. 3. part. direct. Inquiritior. Pagnan. in cap. Significasti n. 68. de elect. Diana Coordinat. 1. 9. tract. 5. res. 12. & alii.

63 Probatur autem nostra conclusio ex verbis à Christo dictis Divo Luca 22. ibi: Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos, quæ verba non personaliter ad solum Petrum, sed ad omnes successores in ejus cathedra pertinere ostendimus supra d. n. 44. Unde cum constat Petrum sic à Deo fuisse confirmatum, ut ejus fides etiam personalis minime posset deficere, ut clare denotant illæ particule pro te, & tua, quas expendimus supra n. 42. idem dicendum est etiam de aliis Romanis Pontificibus ejus successoribus. Ideo enim tale privilegium est illis impetratum, ut fratres suos in fide confirmet; Sed quomodo confirmabant, si sint ipsimet, vel hæretici, vel infideles? An in aliis eam fidem stabiliant, quam ipsimet animo execrantur, & expugnant? Tum quia cum Pontifex sit viva regula, quam omnes fideles sequi, & præ oculis semper habere debent, oportet muniri singulari aliquo privilegio, quo ab errore in iis, quæ sunt fidei non solum sed ipsa, sed etiam illius persona præservetur; aliàs si & ipsum Papam in hæresim labi, & à fide deficere admittamus, quid aliud sperari poterit, nisi quod cæcus ipse nos cæcos simul in foveam trahat? juxta illud Matth. 15. n. 14. ibi: "Cæcus autem si cæco ducatur præter, ambo in foveam cadunt," & Luca 6. n. 39. ibi: Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? & cap. Cum sit art. artium 14. de state, & qualitate, ibi: Quia si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam dilabuntur.

64 Hinc hæc de Romana Ecclesia præ omnibus aliis prædicatur excellentia, & prærogativa singularis, quod omnes alii principales, & antiquiores ecclesiæ non solum Hæreticos, sed etiam Hæresiarchas haberunt Episcopos Antiochenos scilicet Paulum Samosatenum; Alexandrina Diocorum; Constantinopolitana Dioscorum; Scilicet Nestorium; Dioscorus enim non fuit Patriarcha Constantinopolitanus, & Macedonium, & sic de reliquis, ut Ferrar. Biblioth. Tom. VII.

prosequitur Mendoza in q. 4. Scholast. §. 4. arg. 7. Ecclesia vero Romana nunquam. Ex tot enim Romanis Pontificibus, quamvis aliquibus subinde moribus, utcumque dyscolis, nemo umquam repertus fuit, qui in hæresim, vel apostasiam fuerit prolapsus, ut fuse demonstrant Bellarminus de Pontific. lib. 4. c. 8. & seq. Laurea de Fide disp. 8. art. 5. usque ad §. 11. Albertus Pighius de Eccl. Hierarch. lib. 4. c. 7. Barbosa lib. 1. juris Eccl. univ. c. 2. d. n. 52. Matheucc. l. c. Controv. 6. cap. 4. & Controv. 7. cap. 1. & fatentur omnes alii, teste Pagnan. in c. Significasti q. de electione n. 69. Et expresse id testatur Agatho Papa in Epist. ad Constantinum Imperatorem, quæ lecta est in VI. Synodo act. 4. & postea act. 8. ab omnibus approbata. "Hæc est, inquit, veteri fidei regula, quam & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit apostolica Christi ecclesia, quæ per Dei gratiam à tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis novitatibus unquam depravata succubuit, quæ dicitur est Petro: Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos: Hic Dominus fidem Petri non de futuro promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices hæc exiguitas prædecessore commendent fecisse semper cunctis est agnatum." Vnde etiam dicta supra n. 48.

Nec valet obijcere, quod si omnis Papa, ut S. Petrus; neque ut persona privata possit in hæresim incidere, & à fide deficere, hoc esset de fide, & consequenter esset Hæretici contrariam sententiam tenentes, quod non est dicendum, cum illam tenent clarissimi Doctores, tum Canonista, tum Theologi, ut patet ex adductis supra n. 62. & notat Pagnan. c. Significasti q. de elect. n. 68. Non valet, inquam, quia etiam dicitur id esse de fide, ut voluit aliqui inter quos Matheucc. l. c. Controv. 7. c. 1. n. 7. utpote revelatum saltem implicite, & virtualiter in illa propositione: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, adhuc tamen contrarium sentientes non essent Hæretici, quia propriam opinionem non sustinent cum pertinacia, ut requiritur ad hæresim; sed parati sunt parere Ecclesiæ definitioni.

Dum Autor noster ait, Papam nequidem ut personam privatam incidere in hæresim posse, atque id esse de Fide, non ita intelligendum est, ut Ferraris exponit, ut contrariam opinionem tuentes hæretici habendi sint, si pertinaciam non exuant. Nam hæc questio scholastica est, nõndum ecclesiæ judicio definita, ac salva fide cuique opinari fas est, non solum de fide, non esse, Romanum Pontificem quatenus personam privatam non posse in hæresim incidere, quod verum omnino est, sed etiam errare posse. Item dum Theologi cum Auctore nostro ajunt, de fide esse hunc numero Romanum Pontificem in canonizatione Sanctorum errare non posse, ac de fide esse hunc numero Romanum Pontificem esse legitimum Petri successorem, non ita intelligi debent, ut id veluti fidei dogma amplectendum cultibet sit, cum enim Ecclesiæ sententia id definitum non sit, pro fidei dogmate proponi non potest; Sed intelligi hoc sensu debet, quod privati Doctores ex principiis revelatis deducere contendunt, id adeo certum esse, ut ad fidem pertineat. At aliis, salvo dogmate, contrarium opinari licet; uti revera opinatur Ludovicus Antonius Muratorius in opere suo de Ingeniorum moderatione, atque alii, qui contendunt, inerrantem privilegium Ecclesiæ concessum ad fidei dogmata constablanda, versari circa ea, quæ sunt à Deo revelata; non vero circa res humanas. Quamobrem cum Romanus Pontifex ferendo judicium in canonizatione Sanctorum nitatur testimonio hominum, qui de hominis sanctitate, deque pat-



tratis in istius confirmationem miraculis testantur; cumque iudicium de legitimo Pontifice ferendum pendeat ab ipsius baptismate, rata ordinatione; atque legitima electione, quae res ab hominibus pendent, putant Auctores isti ad fidei dogma non pertinere canonizationem Sanctorum, nec fidei dogma esse hunc Romanum Pontificem esse legitimum successorem S. Petri, licet de his certi simus certitudine morali, ac non nisi per summam temeritatem revocare ea in dubium valeamus. Accedit etiam, quod dum nos propugnamus, de fide esse Romanum Pontificem esse infallibilem, non ita sententiam nostram sustinere debemus, ut Gallos Theologos agentes, infallibilia non esse decreta Romanorum Pontificum, nisi accesserit consensus majori partis Episcoporum, haereticos declaremus; haeretici enim non sunt, nisi homines, qui propositi ab Ecclesia dogmati pertinaciter obstint. Ecclesia vero Gallos Theologos huc usque non damnavit, eorumdemque opinionem tolerat.

¶ Quod ego assero, Papam nequidem ut personam privatum incidere in haeresim posse; atque id esse de fide &c. intelligendum est, prout expono ipso loc. cit. ubi expresse dico: adhuc tamen contrarium sentientes non essent haeretici, quia propriam opinionem non sustinent cum pertinacia; ut requiritur ad haeresim, sed parati sunt parere Ecclesiae definitioni. Et en de qua pertinacia loquor ego, de pertinacia nempe non parata parere Ecclesiae definitioni, quoties explicita habeatur. Scio enim ego, quod haec quaestio scholastica est, ideo eam non resolvo ut certam, sed tantummodo ut probabilior, ut expresse in tanta conclusione ibidem n. 62. ibi: Papa probabilis etiam ut persona privata, non potest in haeresim incidere, & in fide deficere, iuxta classicos illos Auctores ibi allegatos, inter quos doctissimus noster Matthaeucci in opere dogmatico Romae prius edito, & deinde Venetiis, controu. 7. cap. 1. n. 3. ibi: dicendum, Pontifex Romanus, ut persona privata, non potest in haeresim incidere, & in fide deficere. Et sic etiam iuxta eundem sensum intelligenda sunt tradita à me, quoad infallibilitatem Papae in canonizatione Sanctorum, & quod hic Romanus Pontifex, Clemens XIII. v. g. legitime electus, & ut talis ab Ecclesia acceptatus, sit verus Papa, & legitimus Petri successor. f. 111.

66 Nec etiam valet dicere, quod sacri canones supponunt Papam ut personam privatam posse à fide deficere, ut de facto supponitur in Canone, Si Papa 6. dist. 40. ubi statuitur Papam à nemine propter quodcumque crimen posse iudicari. Nisi deprehendatur à fide devius, adeoque Papa quoad se & ut persona privata potest in haeresim incidere, & à fide deficere. Non valet, inquam, quia: textus ille non est alicujus Pontificis, aut Concilii Generalis, sed cujusdam Bonifacii Martyris Episcopi Moguntini, qui potuit illius esse opinionis, uti fuerunt, & sunt plures alii, & ideo nobis utpote privati. Doctoris vim non facit, cum nostra sententia majoribus sit suffulta auctoritatibus, & rationibus, adeo ut si non sit de fide, est tamen certa certitudine infallibili infra fidei.

67 De fide est Benedictum XIV. v. g. legitime electum, & ut talis ab Ecclesia acceptatum, esse verum Papam. Est communis inter Catholicos. f. 111.

68 Probatur primo ex Concilio Constantiensi ser. ult. ubi Martinus V. const. incipit. Inter sanctos: decernit ut ab his, qui de haeresi ad fidem revertantur, petatur inter alia Utrum credant, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor Beati Petri habens supremam auctoritatem in ecclesia Dei? adeoque supponit esse articulum fidei, cum haeresim adjuvantes non nisi de fidelitatis veritatibus interrogentur. Tum quia est haeresis Lutheri, quod Papa non sit Vicarius Christi, cujus error 25. à Leone X. cum aliis pro-

scriptus fuit constit. incip. Exurge, ibi: Romanus Pontifex Petri successor non est Christi Vicarius, super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in B. Petro constitutus.

69 Probatur secundo. Illa conclusio est de fide, cujus duae praemissae sunt de fide; sed haec conclusio: Benedictus XIV. est verus Papa, sequitur ex duabus praemissis de fide, ergo est de fide. Major est certissima; Probatur Minor, quia haec praemissae (ex quibus sequitur dicta conclusio) omnis in Papam legitime electus, & ut talis ab Ecclesia acceptatus, est verus Papa, sed Benedictus XIV. est talis, sunt de fide; & quidem de majori nulli Catholici dubitant, aliis non esset de fide legitimum Petri successorem esse verum Papam. Minor quoque est certa, quia eo ipso, quod ecclesia ipsam recipit, ut legitime electum, revelat Deus ipsius electionem esse legitimam, cum promiserit Christum nunquam ecclesiam suam erraturam in materia fidei, ut patet ex evangelicis textibus adductis supra à n. 42. ad 44. erraret autem in tali fidei materia, si non staret conclusio; Quandoquidem ecclesia agnoscens electum, ut legitimum Papam, ipsum agnoscat, ut fidei regulam infallibilem, quae tantum esset fallibilis, adeoque &c. Tum quia definitiones Benedicti XIV. ex cathedra loquentis sunt de Fide, sed non essent de fide, nisi esset de fide Benedicti XIV. esse verum Papam, ergo &c.

70 Nec valet objicere, quod non est de fide, quod Benedictus XIV. sit valide baptizatus, & canonicus electus, cum id non sit revelatum, ergo neque de fide est, quod sit verus Papa. Non valet, inquam, quia licet non sit revelatum explicite, est tamen revelatum implicite per pacificam ecclesiae universalis acceptationem, eo enim ipso, quo Deus revelat esse legitimum Papam, etiam implicite revelat habere omnia ad Papatum necessario requisita.

71 Nec etiam valet objicere, quod licet sit de fide, de esse in hac numero Hostia, adeoque licet sit de fide, verum Petri successorem esse Papam, non est tamen de fide hunc numero hominem esse Papam. Non valet, inquam, quia negatur consequentia & paritas, & disparitas est, quia non est certum, quod haec numero Hostia sit valide consecrata. Secus autem est de acceptatione Papae, cum revelatum sit, hunc hominem esse Papam eo ipso, quo per ecclesiam indefectibilem agnoscitur, & recipitur ut talis.

72 Primatus ecclesiae universalis, seu Papatus est annexus Romano Episcopatu de Jure divino. Sic tenet Abbas in cap. Per Venerabilem 13. Qui filii sint legitimi, Joannes Andreas in cap. Fundamenta, de elect. in 6. ubi Ancharanus n. 12. Card. Tuschus Pract. conclus. Juris 1. 3. concl. 3. n. 19. & tom. 7. lit. R. concl. 302. Bellarm. 1. 1. de Romano Pontifice lib. 2. à princip. S. Antonin. p. 3. tit. 23. c. 5. §. 7. Cajet. 1. 1. Opus. tract. 3. de Pontif. Instit. c. 13. Canus lib. 6. de locis Theolog. c. 4. Turrescremata de potest. eccles. lib. 2. c. 10. cum seq. Jacob. de Concil. lib. 8. art. 6. & 7. Alvar. Pelag. de plantu ecclesiae lib. 1. c. 32. Valentia de Fide disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 37. Quarienti de capit. Militant. Eccles. disp. 5. sect. 4. n. 409. Barotius in addit. ad Montyrolgium Romanum die 18. Januarii pag. 1030 Tirinus tom. 2. Comment. in Scripturam in Summar. controuers. controu. 6. n. 11. Leytan. synopsis de Eccles. Militant. disp. 5. sect. 4. n. 409. cum pluribus ibi relatis, Azorius Insti. mor. p. 2. lib. 4. sect. 2. Cordub. in q. 5. lib. 4. q. 2. prop. 8. Alphons. Mendoza in q. Quodlibet. q. 4. Scholasti. per tot. Matthaeucci. loc. c. controu. 6. c. 2. n. 27. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 1. 1. 3. c. 2. n. 13. & lib. Juris eccles. univers. c. 1. n. 31. & alii passim.

Pro-

73 Probatur nostra conclusio ex sacris Canonibus, & Conciliis. S. enim Pelagius Papa in c. Quamvis 3. dist. 21. omnibus Orthodoxis scribens sic expresse habet: Quamvis universae per orbem Catholicae Ecclesiae unus thalamus Christi sint; Sancta tamen Romana Catholica, & Apostolica ecclesia nullis Synodis constituitur, ceteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri primatum obtinuit. Nicolaus II. in c. Omnes 1. dist. 22. Mediolanensibus scribit: Qui Romanae Ecclesiae privilegium ab ipso Summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in haeresim labitur. S. Anacletus Papa in cap. Sacrosancta 2. dist. 22. sic precise habet: Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super universas ecclesias, ac totum populi gregem assecuta est. S. Marcellus Papa in c. Rogamus 15. caus. 24. q. 1. Episcopis per provinciam Antiochia constitutis scribit: Ejus enim (Petri) Sedes primatus apud vos fuit, quae postea jubente Domino, Romam translata est, cui, adminiculante gratia divina, hodierna praesidium die. Innocentius III. in cap. Per venerabilem 13. Qui filii sint legitimi, sic habet: Locus enim, quem elegit Dominus Apostolica Sedes esse cognoscitur; Cum enim Petrus, Urbem fugiens exivisset, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat revocare, interrogatus ab eo, Domine quo vadis? respondit, venio Romam iterum crucifigi. Quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reversus. Bonifacius VIII. in c. Unam Sanctam 1. de majorit. & obedient. inter Communes sic precise definit: Unam Sanctam Ecclesiam Catholicam, & ipsam Apostolicam, urgente fide credere cogimur, & tenere; Nosque hanc firmiter credimus, & simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum, & ubi est sermo de sola Ecclesia Romana Catholica, ut expressis verbis ibidem in §. final. declaratur, ibi: Porro subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis. Concilium Constantiense damnavit sequentem errorem Wiclefii in ordine 41. Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias. Concilium Florentinum sub Eugenio IV. in literis unionis sic expresse definit: Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsam Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pasceendi, regendi, & gubernandi universalem ecclesiam ad D. N. J. Christo plenam potestatem traditam esse. Quae omnia clarissime ostendunt, Primatum ecclesiae universalis esse annexum Episcopatu Romano ex institutione, & dispositione Christi, & sic de Jure divino.

74 Nec valet objicere, quod primatus ecclesiae ex prima sui à Christo facta institutione fuit personalis, hoc est, annexus, & connexus personae Petri. Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et cetera. Pasce oves meas, non vero affixus particulari loco, vel determinato Episcopatu. Nam Christus Petrum constituit generalem totius ecclesiae primum Episcopum, supremumque pastorem, adeoque quod primatus ecclesiae sit Romano Episcopatu potius annexus, quam Viennensi, Parisiensi, Toletano, Mediolanensi, Neapolitano, vel Taurinensi, non est ex Christi institutione, sed

quia Petrus Romae sedem fixit, vel à Nicenae Synodo fuit sic ei annexus, & consequenter non ei annexus de Jure divino.

75 Non valet, inquam, quia licet primatus ecclesiae ex prima Christi institutione fuerit personalis, id est, annexus personae Petri, non tamen ut Petrus erat persona privata, sed ut publica, ipsi nimirum collatus, & in ipso omnibus ejus legitimis successoribus, & ex tunc fuit jussu Christi etiam localis, seu certo loco, Romanae Urbi nimirum affixus, non statim pro illo tunc, sed pro tempore subsequenti Petro à Christo, ut supra dictum est, & significato, adeoque non ex voluntate Petri, sed ex voluntate, & jussu Christi fuit primatus ecclesiae annexus Episcopatu Romano; Et tanto minus dici potest, quod primatus ecclesiae fuerit unitus Romano Episcopatu à Concilio Niceno Can. 6. ut falso volunt Graeci Schismatici, quia sextus Canon Concilii Niceni sic expresse habet: Ecclesia Romana tempore habuit primatum, ut notat Bail. summ. Conc. tom. 1. in Concilio Chalcedonensi ad 27. Cabasutius notit. eccles. ad dist. Can. 9. Niceni, & alii passim. Immo in praefatione dicti Concilii Niceni, teste Bail. loc. citat. expresse dicitur, quod Ecclesia Romana nullis Synodis decretis praelata est ceteris ecclesiis, sed evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri primatum obtinuit.

76 Nec valet instare, quod hoc dato, de fide tenendum esset primatum ecclesiae universalis esse annexum Episcopatu Romano, adeoque sententia contraria esset haeretica, & sic non posset à Catholicis Doctoribus defendi, prout à pluribus defenditur. Non valet, inquam, quia etiam dato, quod id de fide tenendum esset, ut non deficiunt Doctores, qui id velint, inter quos Matthaeucci loc. c. controu. 6. c. 1. n. 19. adhuc tamen Doctores contrariam sententiam propugnantes non essent haeretici, quia non sunt contumaces, & propriae opinionem non sustinent cum pertinacia, ut requiritur ad haeresim, sed parati sunt parere ecclesiae definitioni.

77 Neque etiam valet instare, quod si primatus ecclesiae esset Jure divino annexus Romano Episcopatu, non posset ad invicem separari, quod est manifeste falsum, cum possint Pontifices ad aliam civitatem transferre sedem pontificiam, ut de facto fuit translata Avenionem, & per multum temporis ibi remansit; Vel possit funditus destrui Roma, & sic cessare Episcopatus Romanus.

78 Non valet, inquam, quia revera primatus ecclesiae nequit à Romano Episcopatu ulla humana potestate separari, cum, ut cum multis recte notat Barbosa lib. 1. Juris eccles. univers. c. 1. n. 32. Sedes pontificia ex necessitate divini praecipit Romae remanere debeat, ac proinde à Roma contra Domini jussum alio transferri non possit, ut colligi etiam videtur ex sacris canonibus adductis supra numer. 73. & aliis Juribus, & auctoritatibus relatis per Abbatem in c. Per venerabilem 14. Qui filii sint legitimi num. 18. Per Jacobat. de Conc. lib. 8. art. 9. per Alphons. Mendoza in quest. Quodlibet. quest. 4. Scholasti. per tot. per Card. Tusch. t. 6. lib. P. conclus. 50. n. 30. & 31. per Card. Bellarm. tom. 1. de Romano Pontifice lib. 4. cap. 4. & per alios plurimos. Et quamvis aliqui Pontifices Avenione manserint, semper tamen Episcopatum Romanum tenuerunt, & Romani Pontifices fuerunt appellati, ut eorum Bullae clarissime demonstrant. Et dato etiam, quod Romana Civitas penitus extingueretur (qui casus tamen creditur impossibilis, & sperandi à divina Providentia, Romam usque ad mundi finem esse conservandam) adhuc tamen non extingueretur Episcopatus Romanus, siquidem ut semper dretur, sufficit aliquando fuisse cum connotatione ad illos terminos materiales Urbis, ut recte notant Garnier.



ri de Capite militans. eccles. lib. 2. c. 8. n. 6. Mattheucci l. c. Controv. 6. c. 2. n. 20. & alii. Et pro tunc sicuti in casu, quo Papa aliò se transferat ad residendum, valet illud vulgatum, quod *Ubi Papa, ibi Roma;* ut in terminis Eugenianæ const. incip. Divina, editæ ab Eugenio IV. octavo Idus Martii 1432. dixerunt Marchesan. de Commis. Eug. p. 2. c. 11. n. 38. Ridolphin. in praxi p. 3. c. 4. n. 164. Card. Petra 1. 4. Comment. ad const. 4. Eugenii IV. n. 6. & alii (Consonat lex 4. lit. 9. p. 1.)

81 Papa, etiamsi suis literis apostolicis salutem excommunicatum, immo quamvis scienter ipsi excommunicato participet, literis, verbis, osculo, aut quovis alio modo, non idcirco censetur eum absolvere, nisi expresse se declarat velle per hoc ipsum absolvere. Communis, textu expresso in cap. Si aliquando 41. de sent. excommunicationis, & in Clement. Si Summus Pontifex scienter etiam excommunicatum participet literis, verbo, vel osculo, seu alio quovis modo, ipsum per hoc absolvere nulla ratione censetur, nisi se velle forsitan exprimat illum ex hoc pro absoluto haberi; Junctio ejus summano sic expresse habente: Si Papa etiam scienter excommunicato participat, illum per hoc non absolvit, nisi exprimat, hoc se velle. Vide verb. Probatio à n. 37. ad 30.

(Licet videatur convenire cum precedenti doctrina lex 5. vers. E si el Papa: sit. 5. p. 1. tamen exprimit, absolvere excommunicatum, si scienter eum eo participat, dummodo absolventi voluntatem habuerit, eamque non aperuerit.)

82 \* Papa primatus à Græcis esse agnoscendus. Bened. XIV. tom. 1. const. 57. incip. Btsi Pastoralis

83 §. 8. Papæ commemoratio in missa fieri debet à Græcis Italix, & Insularum. Idem ib. §. 9.

84 Papa ex absoluta potestate, etiam inconsulto diocesis Episcopo, potest concedere exemptionem ab ordinaria jurisdictione. Idem tom. 2. const. 40. incip.

85 Causarum Palatii. Papa, non autem ullus inferior Antistes, potest dispensare in iis, quæ sunt de jure communi canonico. Idem const. 51. incip. Magnæ Nobis.

86 Papa est supremus dispensator bonorum ecclesiarum; Immo Canonice communi suffragio dominum eum agnoscunt. Bened. XIV. const. incip. Cum Encyclicas literas, §. 4. Papa bona ecclesiarum potest injustis detentoribus concedere, quoties id Religionis utilitas, & detentorum salus postulare videatur. Idem ib. §. 5. & 6. ubi ad id affert exempla prædecessorum Pontificum; Idem autem Pontifex jure potest non solum cum res est de hæreticis ad ecclesiam revocandis, sed etiam cum Christi fideles à probabili apostatandi periculo revocantur. Idem ib. §. 6. & 7.

87 Papa potest ecclesias quibuscumque in diocesisibus sitas per se, vel quatenus nolit, aut non possit, per suum Delegatum, irrequiritis locorum Ordinariis, consecrare. Bened. XIV. const. incip. Jam in de §. 25. & 28. Immo olim privativa fuit ipsi auctoritas consecrandi ecclesias. Idem ib. \*

\* Plura de Papa minus exacte hic dicta emendantur verb. Romanus Pontifex.

¶ *Monitum ad Lectorem.* Non ut abjicias quod verum, & justum est, sed ut æquus rerum estimator sis, moneo, Lector veritatis amans, ne more peccudum eas in sententias omnes, quas in medium promit Lucius Ferraris. Illas cribra, & auctoritate quære in scripturis sanctis, in doctrinis Sanctorum Patrum, in Sacrorum Conciliorum canonibus, atque in Summorum Pontificum sinceris decretis. Scias velim, neque ecclesiam, neque Summos Pontifices indignos esse falsitatis, ut auctoritatem, decorem, splendoremque teneantur. Ridebis cum leges n. 13. Papam esse Regem Cæli, & Terræ, & Inferorum; indignaberis, quando omnia, quæ sub n. 49.

congesta sunt, perlegeris, dicesque Lucium velle definire, quod nondum ab Apostolica Sede expresse definitum est, teste Lambertino. A suspitione hæresis ille non absit (inquit Lamindus Pritanicus de Ingenio Moder. l. 1. c. 17.) atque intolerandam, & penis dignam temeritatem ac impudentiam præ se ferat, qui rite Cœlitum catalogo adscriptos explodat, & in iis, ut ajunt, canonizandis ecclesiam reipsa, & Romanum Pontificem errasse dicat. Suspicionem hæresis memoravi, non autem hæresim formalem; quippe non video quomodo conciliari possit cum certissimis regulis hæcenus traditis eorum sententia, qui firmissimo assensu, divinaque fide credendum censent, ecclesiam, aut Romanos Pontifices talia decernentes falli nunquam posse. Videant ipsi, an non inde sequatur, novas revelationes, nova de factis dogmata in ecclesiam induci, quod abhorret à catholica doctrina, & ipsi non negant. Nam quæ argumenta pro sua opinione præducunt, aut nihil, aut nimium in ista questione probare facile cognitæ est; Dictorum suorum probationes leges ad eundem Pritanium, quem si legisset Ferraris in negotio Religionis moderatius scripsisset. ¶

PAPALIS BENEDICTIONE.

Quid novissime statuerit Clemens XIII. circa Benedictionem, quam vocant *Papalem*, cujus impertiente aliquoties infra annum facultatem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis &c. (eam auferendo ceteris ecclesiasticis omnibus) tributum, cum præscriptone ritus in casu servandi; vide tom. 1. verb. Benedicere, benedictio art. 5. n. 63. ubi ad litteram adducuntur ea de re editæ laudati Pontificis apostolica littera.

PARAMENTA SACRA.

SUMMARIUM.

1 *PARAMENTA SACRA* ex Glossa in c. Ad Nuptiarum 43. de consecratione, non debent fieri ex vestibus mulierum; qui contrarium tenent: honesta esse debere non dubitatur: que necessaria, & quando in alios usus converti, atque alienari, ad n. 13.

14 *Que solemnitas ad eorum alienationem*, ad n. 17.

18 *An sint benedicenda*, & quando: ex quibus coloribus conficienda, ex quo loco sunt assumenda ad sacrificium celebrandum, ad numer. 33.

33 *A quibus sint paramenta providenda, ad quem Prælatorum pertineant: que spolia considerentur, & an omnibus vestibus sacris uti permittatur*, ad n. 41.

42 *Novæ addition. ex aliena manu*, ad n. 49.

*PARAMENTA SACRA* ex Glossa in c. Ad nuptiarum 43. de consecr. dist. 1. non debent fieri ex vestibus mulierum, ibi: Ex veste alicujus domine, vel alterius, non debet fieri casula, vel aliqui ornatus ecclesie, & hanc Glossam sequuntur Bacco in 4. dist. 11. q. 1. art. 5. & alii, quos tacito nomine citant Barbosa lib. 3. Juris ecclesiast. univers. c. 2. n. 33. & Suarez disp. 81. de Sacrificio veli. 8. §. Sed quæret, & hujus opinionis videtur esse etiam Mattheucci Officiali Curia c. 7. n. 23. & alii; arg. c. Vestimenta 42. & cit. c. Ad nuptiarum 43. de consecr. dist. 1. & c. Ad hæc 4. de religiosis domibus. At vero ipse Barbosa l. c. n. 33. tenet contrarium, dicit enim expresse: Non prohibetur autem ad sacras vestes, & alia ornamenta ecclesie ex materia profana, vel etiam muliebri veste fieri: quamvis

vis aliqui per Gloss. in cap. Ad nuptiarum, de consecr. dist. 1. & in cap. Ad hæc, de religiosis domibus; contrarium senserint, quia per consecrationem Episcopi sanctificantur, & templa Idolorum in ecclesiis convertuntur. Idem expresse tenet Lezana Summa q. Regularium tom. 4. vers. Paramenta sacra num. 3. ubi dicit, quod ornamenta, seu paramenta sacra, possunt fieri ex materia etiam profana, vel etiam ex mulierum vestibus, non solum propter viam vocis oraculum Sixti IV. pro Minoribus, quod refert Casarubius in Compend. privileg. Mendicant. verb. Ornamenta ecclesiastica num. 6. sed etiam Jure communi, quia per benedictionem sanctificantur, & ex profanis fiunt sancta, & sacra. Et idem absolute tenet Quarti Comment. in rubr. missalis part. 1. tit. 19. dub. 4. ubi dicit quod communis, & vera sententia docet hoc licite fieri posse absque ullo scrupulo. Tum quia hoc nullibi reperitur prohibitum; Tum quia ex communi usu fideles vestes pretiosas ecclesiis donant, ut ex illis conficiantur casulae, & paramenta altaris; Et præfati ecclesiarum etiam doctissimi ita exequentur; tum etiam quia constat ex praxi communes domos nonnumquam in templa converti, exemplo Marcelli Papæ, qui domum Lucinæ in ecclesiam consecravit, & Bonifacii IV. qui Pantheon templum Idolorum consecravit in honorem omnium Sanctorum. Immo id expresse concessit Sixtus IV. Fratibus Minoribus, ut refert Casarub. in compendio privilegiorum verb. Ornamenta Ecclesiastica num. 6.

3 Paramenta ecclesiastica debent esse munda, honesta, & proportionata usui, & ministerio, ad quod accommodantur; cap. Vestimenta 42. de consecr. dist. 1. cap. Relinqui 1. de custodia Eucharistie. Paramenta ecclesiastica, & præsertim vestes, quibus Sacerdos utitur in missa, uti Amictus, Alba, & hujusmodi debent esse benedicta, ut colligitur ex cit. cap. Vestimenta 42. de consecr. dist. 1. antiqua ecclesie consuetudine, & benedictionibus pro hac re institutis, & contentis in Cæremooniali Romano. Unde celebrare sine vestibus, seu paramentis benedictis, aut cum aliqua non benedicta, regulariter sine juxta causa, est peccatum mortale; quia est contra ecclesie præceptum, & consuetudinem in re gravi. Communis.

6 Qui autem possint paramenta ecclesiastica, & vestes sacerdotales benedicere, vide verb. Benedicere, benedictio art. 1. à num. 17. ad 11. & verb. Vasa Sacra num. 2. & 3.

7 Quæ sint paramenta, & ornamenta necessaria pro celebratione missæ; vide verb. Missa art. 10. per tot.

8 Paramenta sacra non possunt amplius converti in usus profanos, quia semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum, textu expresso in cap. Semel 51. de Reg. Juris in 6. & concordat cap. Quæ semel 4. caus. 19. quest. 3. (Vid. lit. A pag. 210. vers. Quibus: lit. B pag. 367. numer. 23. cum leg. 38. 61. & 62. lit. 5. part. 5.) Nec ad alios usus, quibus dedicata sunt, transferri debent; cap. Vestimenta 42. & cap. Ad nuptiarum 43. de consecr. dist. 1. Paramenta sacra, cum fuerint veritate consumpta, incendio danda sunt, & cineres in Baptisterio, vel alio loco abditio, & honesto conditi, ne forte transeuntium pedibus conterantur; cap. Altaris palla 37. de consecr. dist. 1.

11 Paramenta pretiosa nequeunt alienari sine justa causa, & debita solemnitate; cap. Final. de rebus eccles. non alienand. Clement. 1. eod. tit. inter communes. Immo possunt hypothecari, & oppignorari; cit. Extravag. Ambitiosa cum aliis Juribus adductis sub verb. Alienatio art. 1. num. 2. Dicitur autem notanter sine justa causa, & debita solemnitate, quia istis interuentibus, & concurrentibus possunt hypothecari, oppignorari, & alienari, ut pa-

tet ex variis Juribus adductis sub verb. Alienatio art. 2. num. 1. ad 9. Quæ autem, & quot sint istæ causæ, & solemnitates, vid. d. verb. Alienatio art. 2. à num. 2. ad 9.

15 Paramenta sacra, quando urgente aliqua justa causa alienantur, oppignorantur, vel hypothecantur, tunc non debent alienari, oppignorari, vel hypothecari, nisi ad servitium, & ministerium alterius ecclesie, & altaris, & ad usus sacros, & pios; cap. Ligna Ecclesie 36. de consecr. dist. 1. Paramenta sacra, si absque necessitate vendantur, hypothecentur, vel oppignorentur etiam ad usus sacros, & pios, & ad servitium alterius ecclesie, quamvis vendantur solum ratione materie, qua constant, & non quatenus sacra sunt, adhuc committitur sacrilegium propter irreverentiam, quæ fit rebus sacris, dum sine necessitate venales fiunt; Non tamen committitur simonia; quia non venduntur, quatenus sacra sunt pro pretio temporali, sed solum venduntur ratione materie, qua constant, & ita venditur materia temporalis pro pretio temporali. Covarrub. lib. 3. var. cap. 16. num. 8. Molin. de justit. tract. 2. disp. 240. vers. Res item Sacra, Navarr. in Manual. cap. 17. num. 205. Barbosa lib. 3. Juris ecclesiast. univers. cap. 2. num. 47. & alii passim. Paramenta, & Vasa sacra licet ex justis causis vendi possint etiam Laicis, & ad usus profanos, tamen prius contracta, & conflata esse debent; cap. Aurum caus. 12. quest. 2. cum ibi notatis, Sanchez tom. 2. consil. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 15. §. Quarto dico: Barbosa loco citato num. 48. Lezana cit. tom. 4. verb. Vasa Sacra num. 6. & alii passim. (Ad rem Breve S. D. Clementis XII. §. 11. & 12. lit. C pag. 80.)

18 Paramenta ecclesiastica, & sacra execrantur, & benedictionem amittunt, ac nova indigent, quando ita franguntur, & in eo statu ponuntur, ut non possint amplius decenter inservire usui sacro, cui fuerant deputata, aut non amplius priorem figuram retineant. Barbosa loc. cit. num. 36. Lezana loc. cit. 1. 4. verb. Paramenta Sacra num. 3. Armilla verb. Benedicere num. 3. Angelus verb. Benedictio num. 3. & alii. Hinc stola facta de planeta benedicta debet iterum benedici, quia ad ipsam est data particularis benedictio, & est mutata forma, quæ debet esse rei. Paul. Fuchius de Viri. lib. 1. cap. 25. num. 15. Ugol. de potest. Episcop. cap. 33. §. 1. num. 6. Barbosa loc. cit. num. 48. Mattheucci loc. cit. num. 22. & alii. Secus autem si de stola fiat manipulus. Antonell. de regimin. eccles. lib. 1. cap. 17. num. 13. Mattheucci official. Curia cit. cap. 7. num. 22. & alii.

21 Alba non indiget nova benedictione, si ad eam reficiendam aliqua adjungantur, quorum additione remanet adhuc prior figura, etiamsi quæ adduntur, non sint benedicta; arg. cap. Quod in dubiis 3. de consecr. eccles. vel altar. Accessorium enim naturam sequi congruit principali; cap. Accessorium 42. de Regul. juris in 6. (Vid. lit. A pag. 38. ex num. 1. ad 15. lit. D pag. 104. ex num. 60.) Barbosa loc. cit. num. 37. Armilla, Angelus loc. cit. & alii. Si vero refectio fiat secundum majorem partem, tam ipsius Albe, quam alterius paramenti, seu ornamenti, opus est nova benedictione, quia non retinet priorem figuram, & materia addita non benedicta est major priori materia benedicta; arg. cap. Si Ecclesiam unic. de consecr. Eccles. in 6. addita ibi ratione: Ne minus dignum majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur. Vide verb. Ecclesia articulo 4. num. 25. Paramenta non benedicuntur substantialiter per usum in sacrificio mala fide factum. La-Croix lib. 6. part. 2. num. 252. cum pluribus ibi citatis. An autem benedicantur per usum bona fide factum? Vide verb. Calix num. 20.

25 Paramenta altaris, celebrantis, & ministrorum, debent esse coloris convenientis officio, & missæ diei secundum usum Romanæ Ecclesie, quæ coloribus uti